

quoq; magnificentia tua ineffabilis demonstretur: in arce inquam Stri-
goniensis, ad cuius restitutionem assiduam et si nulis parcas impensis,
longè tamen ampliori sumptu solertiori q; studio bibliothecas preciosissi-
mas, ac omni genere codicum refertissimas instituisti. Quantam præte-
rea & quam perennem curam habeas condendi studij generalis, conclu-
matum esse iam pridem arbitror, cum ex vniuersis literatorum consor-
tis omnium professionum doctissimos quosq; viros accersere solesas, offi-
cio fretus regij Cancellarij supremi. cui capto felicissimo me quoq; VVi-
ennensis collegij alumnum quantumcunq; adesse voluisti i, docturum vi-
delicet quadruuiales facultates. Venienti igitur, voluntatiq; tuæ morem
gesturo mihi in primis id mandati dedisti, vt tabulas quasdam direclio-
num componerem, quæ & vnu faciles & iudicibus utiles essent. Reclè
quidem animaduertisti difficultatem huiusc rei, quam profectò omnes
Astrologi tanquam horrendum scopulum declinant: nemo omnium eßt,
qui se se tantis retibus satis expedire possit, tametsi multifaria huius ne-
gotij præcepta passim reperiantur. Hali nempe in quarto libro suo ar-
tem directionum asserit esse complementum iudicij natalis: quamobrem
operæ preciū decreuit, compilare tabulas soluendi nodos: quæ cum nostra
tempestate nusquam reperirentur, Parmensis quidam Archidiaconus
quætorum secutus, tales contexuit ad medium sexti climatis: imbecilles
tamen, ac à mente Ptolemæi eiusq; Commentatoris, imò & ab opinione
propria (quod fædissimum eßt) longè alienas. Nam & ipse modum
dirigendi per Sphærām solidam, officio semicirculi Meridiano & Hori-
zonti coeuntis summopere laudat, & Ptolemæum idem (quod verum
eßt) sensisse arbitratur. Postremò tamen in tabulis suis ponit fiduciam,
ignorans vtq; quantum his duobus modis interesse possit discriminis,
quod reuera 5 gradus (absurdum dictu) nonnunquam excedit. Erit
forsitan qui Ptolemæum clarissimum eiusdem quoq; vitij insimulabit;
quippe qui in tertio quadripartiti sui agens de spacio vitæ, paulò ante
quam ad duos dirigendi modos descendit, totius artis iacit fundamen-
tum, necessarium quidem ratus, in directione sequentis loci positio-

nem